

ORATIO
 EUCHARISTICA,
 PRO GERMA-
 NIÆ PACE,

Cum ejus festum d. 8. Decembris,
 ANNO 1649.

Solemnissimè celebratum esset ;

In Collegio Rigensi habita,
 à

BALTHASARE ROMBERGIO,
 Rigâ Livono.



RIGÆ,

Typis SCHROEDERIANIS.

ANNO M. DC. L.



ILLUSTRISSIMO HEROI AC
DOMINO, DOMINO

MAGNO GABRIELI

De La GARDIE,

COMITI in Leckōs & Arensburg/ L. BARONI
in Eckholmen/ DOMINO in Hapsahl/ Ma-
gnus-Hoff & Heyndorff/ &c.

S. Regiæ Maj. Regniq; Sueciæ Sena-
tori, Exercituum Suecicorum Finonicorumq;
per Germaniam, ut & militum S. R. M. prætō-
rianorum Præfecto Generali, nec non per
Livoniam Summo Guberna-
tori,

DOMINO suo Gratosissimo,

Est. A

Tartu Raikliku Ülikooli
Raamatukogu

9129

*Se suaq; studia, eâ quâ potest subjectio-
ne & submissione, humillimè
commendat,*

BALTHASAR ROMBERGIUS.



Sullauspian, post
hominum memoriam,

curata pax est, in qua & admirabilis se divini numinis potentia ostenderit, & quid fortissimorum virorum virtus, quid singularis conciliatorum prudentia valeat, cognitum ac declaratum sit, in hac certè, quam tot annis afflictissimæ Germaniæ restitutam nuper hîc solenniter gratulati sumus, ita hæc omnia patefacta sunt, ut nunquam majoribus, nunquam illustrioribus argumentis, aut illustrata esse, aut in posterum illustrari posse videantur. Quis enim sperare poterat, tam diu laceratam, tot Christiani sanguinis fluminibus inundatam, beatissimis tranquillitatis federibus componi posse Germaniam? Neq; vota quidem, quanquam cælum fortiter pulsarent, ad tam ignoti remotiq; Numinis aram, sine trepidatione, per-

veniebant. Tot difficultatum nexibus implicata erant omnia, ut sive ipsos inter se pugnantes respicerent, sive contumacissimi belli causas æstimarent, nihil ferè ad spem pacis viderent reliquum. Nimirum, unus uni facile conciliari potest: in hoc verò bello Germanico quantus Regum? quantus Principum? quantus mutuò confligentium concursus & ardor exstitit? Quis in amica coituros federa tot orbis, tam potentes, tam ferventes Principes, sine alterius partis interitu, credidisset? Si, incendio suborto, unam modò alteramve domum ignis adhuc infestat, restinguendi spes adest; at si furibundus undiq; & undiq; Vulcanus totam flammis Civitatem obruat, desperatio incedit homines, neglectus, abjectio, ut ne admoveere quidem manum amplius sustineant, nonnisi gemitibus, lacrimis, ejulatibus miscentes omnia. Idem accidebat calamitosissimæ Germaniæ, postquam illam bellum grave, bellum ineffabilis terroris, bellum non uni Principatui, non uni Regno; Sed universæ propemodum Europæ formidabile, totos triginta annos, laceraret. In quo quantis quæso de rebus dimicatum est?

est ? non de limitibus Regionum , non de
verbis fortè asperioribus, non de rebus aliis le-
vioribus, ex quibus tamen bella diuturna,
bella gravissima quandoq; nata esse legimus.
Sic Ætoli & Arcades mutuis se cladibus diu-
tissimè attriverunt, ob unius apri caput : Sic
Picti & Scoti crudeliter se infestârunt mutuò,
ut nullis prorsus federibus placarentur, tamet-
si pacem annos ferè sexcentos antea coluissent :
qua de causâ ? canes aliquot erepti causâ bel-
li fuerunt. Sic Helvetii immane quantum
exarserunt adversus Carolum, Burgundio-
num Ducem, ut nonnisi ipsius Ducis morte
placarentur, cum ipsis currus pellium ablati
esset. Hoc verò bellum pro Germanorum
libertate, quæ omni vitâ carior, omni pretio
superior : pro Religione orthodoxa, quæ non
civilis minus, quam cœlestis felicitatis funda-
mentum est, à meliori parte, masculè suscep-
tum, fortiterq; hucusq; & feliciter continua-
tum ac gestum fuit. Gestum fuit circa ani-
mæ negotium : gestum, postremis tempori-
bus, inter ipsos fidei ejusdem consanguine-
os, quos inter, si exacerbantur, caritatis vincu-
la, incitamenta irarum fiunt sæpe immortali-

um. Et tales quidem videbantur in Germania omnibus ; Sed prævaluit, prævaluit & hîc Divina providentia : prævaluit Inviçtissimæ REGINÆ atq; DOMINÆ nostræ incomparabilis vigilantia : prævaluit Illustrissimorum Procerum, juxta Proxenetas pacis alios, admiranda industria, ut consanguineis vulneribus manantem sisterent sanguinem, & totum crudelissimorum armorum strepitum beatissimo concordia, &, ut optamus, ut speramus, æterno silentio consopirent. O factum prorsus admirabile ! Alia enim verba mihi desunt ; quid verò mihi dico ? verba desunt omnibus, quanti quanti etiam fuerint, Oratoribus, quibus pacis hujus Germanicæ, pacis tot votis expetitæ, tot precibus oratæ, tandem exoratæ, gloriam ex merito deprædicent. Quid ergo nobis faciendum, Auditores ? faciendum nobis est, quod possumus, & gratiæ agenda, pro cœlesti illo dono, inprimis DEO, summo pacis largitori : tum REGINÆ nostræ ac DOMINÆ, â DEO secundæ ; Paritiis deniq; Eminentissimis ; sed quantæ quidem ab infirmitate nostra proficisci possunt : & in eo præsens versabitur oratio. Ut verò DEUS
ipse

ipse Ter Opt: Max: infantiū lactentiumq; laudes grates habet: ita nemini non gratum fore pium hunc potius, quam audacem conatum meum confido, quem vel affectus ille promovebit, qui muto olim Cræsi filio in pugna vocem donavit. Vestram verò, Auditores Spectatissimi, attentionem ad hanc gratiarum actionem non efflagito, ne de insigni vestra pietate, quam tot speciminibus, in nuperrimo Germanicæ pacis festo, contestati estis, & adhuc gratiosè testamini, videar ineptè dubitare.

Cum profanam omnem laudem judicârint Ethnici, quæ cum memoria Omnipotentis DEi non conjungitur, quid nobis in præsentī faciendum sit, qui, extra densissimas gentilitatis tenebras, in splendida divinæ benignitatis luce collocati sumus, nemini ignotum erit. Ipse quidem Cicero, & Eloquentiæ, & Patriæ Romanæ parens, etiamsi gloriosior aliâs suarum laudum præco fuerit, sua tamen benefacta tantò eminentiora judicavit, quantò propius divinis curis admoveret. O Dii Immortales! sic exclamat in concione homo Ethnicus, (vobis enim tribuam, quæ vestra sunt: nec verò possum humano tantum ingenio

ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam
repentinas, in illa turbulentissima tempestate
Reipub: mea sponte despexerim.) Vos profes-
cò animum meum tum conservandæ patriæ
cupiditate incendiistis: me ab omnibus cæteris
cogitationibus ad unam salutem Reipub: con-
tulistis: vos deniq; in tantis tenebris erroris ac
inscitia clarissimum lumen prætulistis menti
meæ. Ita dixit, Aud: dicendi Magister opti-
mus: ita seculo in documentum omnis po-
steritatis scripsit, quem, si ullibi aliàs, moder-
no certè tempore sequi convenit, ut bonum
omnium in mundo maximum, bonum om-
ni æstimatione nostrâ & prædicatione supe-
rius, bonum pacis, grato animo ad DEUM,
omnis boni fontem augustissimum, primò re-
feramus. Quam illustribus enim argumen-
tis in hac Germaniæ pace & justam clementi-
am, & clementem justitiam ostendit Domi-
nus pacis & belli providentissimus? Sicut pi-
us pater immorigeros castigat liberos, ut eos
revocet à vitiis & ad virtutum frugem promo-
veat: ita DEUS miseri flagello belli suum
affixit populum, qui felicitatem suam, quâ tot
annos, sub amica pace fruebatur, concoque-
re non

re non poterat, nisi thermis ejusmodi Nero-
nianis juvaretur. Quam sudatum verò in il-
lis est? quam lacrumabilis per universam Ger-
maniam inde miseria orta est? Solon ille Sa-
piens, cum curis anxio cuidam amico varias
hominum afflictiones ostensurus esset, in ar-
cem eum deduxit, subjectasq; inde domos
monstrans, quanta in singulis curæ, quantæ
in universis calamitates lateant, jussit ex pende-
re. Quæ arx tam excelsa? quæ turris tam al-
tè posita, è qua Germaniæ ex truculento bello
calamitates pondere gravissimæ, numero infi-
nitæ possint conspici? Urbes, provinciæ, re-
gna quot & quanta ibi fuère, nil nisi amphitheatra fuère, in quibus immanissima belli ra-
bies, omnia in sanguine, sursum deorsum ro-
tavit. Quam Te, regionum omnium REGI-
NAM, terrarum decus, Germania deforma-
vit hoc tetrum dissidium! Nihil prisca crudeli-
tas, nihil nova inhumanitas Tuis negavit mi-
seriis, quæ lacrumis tamen potius, quam ver-
bis indicandæ mihi videntur, præsertim cum
eas, me tacente, ipsa clare satis, inter cineres
proh dolor! ac rudera sua adhuc declamitet:
quid? totis artibus ad earum memoriam co-

horrescat. Quanta in illis miseris pacis desideria! quot ad DEUM missa suspiria! Non tantum homines; sed ipsi agri, cadaveribus oppleti, ipsa flumina, Christianorum sanguine rubentia pacem à DEO, pacem à bellantibus continuis votis & precibus, flagitârunt. Sed diu pressit Germanos tantarum miseriarum servitium, ipsis cum iisdem senescentibus adversis, satis diu eos pressit, fortassis, ut gratus esset donum, quod post tot metus, post tot motus, post tot vota, tardius concessum est. Scilicet ut verni temporis clementia & amœnitas minus hilararet animos, nisi eam rigor hyemis & asperitas antecessisset: ita minus iucunditatem pacis hujus ac dulcedinem sentirent Germani, nisi eam cum superiorum temporum tristitia, & cum Tartaræ istius tempestatis acerbitate compararent. O abstrusa verò & recondita DEI consilia! O bonitatem ac clementiam ipsius perpetuò prædicandam! Respexit tandem ad lacrimas, ad gemitus, ad ejulatus miserorum, qui, cum terris non caperentur amplius, cœlum invadebant, DEUM oppugnabant, & tandem paternum illius, misericors, & maternum peccus expugnabant, ut

mallet

mallet misereri ; quam castigare , ignoscere ;
quam vindicare, condonare, quam diutius ira-
fci. Quis non exclamet cum devota illa ani-
ma : Verè Dominus est, qui vulnerat & mede-
tur : percutit & manus ejus sanant : Verè Do-
minus est qui mortificat & vivificat : qui pro
paterna sua dispositione , castigans castigavit
suum populum ; sed morti non prorsus tradi-
dit. Neq; verò obscura clementiæ hujus spe-
cimina inter ipsas bellorum clades apparue-
runt, quotiescunq; stupendas omni mundo
Victorias Germanæ fidei & vitæ assertoribus ex
alto largitus est. Nisi enim toties luxatæ, attri-
tæ, consumptæ pontificiorum vires essent, an-
non instar cataclysmi oppressissent statim ovi-
le Domini, nec, nisi omnibus consumptis, su-
am satiassent rabiem ? Annon pusillus ortho-
doxorum grex, sub papisticæ idololatriæ ju-
gum tractus, misereq; oppressus adhuc geme-
ret ? Testor duas illas prope Lipsiam victorias
famofissimas ! Testor Lüzensem & Witstochi-
ensem, ne de aliis pluribus hîc dicam : undiq;
majori virium militarium apparatu instructi
fuerunt Ligistæ, quam nostri : undiq; tamen
â nostris fusi, cæsi, fugatiq; fuerunt. Quis ma-

nûs DEI victrices in nostrorum armis & animis non animadverteret ? quis manifesta clementiæ cœlestis signa non miraretur ? quæ fastigium quoddam suis additura operibus, ipsam pacem, pacem tot â se precibus oratam, tandem, post triginta annos, exoratam benignissimè superiori anno restituit. O amicam generi humano Divinam clementiam ! ò amicum clementiæ illius donum, cujus sic gratia omnes afficit, ut etiam nomen ametur ! Pacem intelligo, fomitem securitatis, publici boni radicem, commodorum seminarium, pacem opulentiae segetem ; almam virtutum omnium nutriculam. Cujus non aures animusq; tam delectabili commodorum dulcedine perfundantur ? cujus non pectus penitissimis hilarescat visceribus ? Profectò, si ægrè æstimare possumus, Auditores, quantum bonum à DEO acceperit Germania, ut ægrè, propter magnitudinem illius, possumus, unum succurrat, majus expectari non potuisse, cum nec præstabilius à DEO hîc conferatur. Si omnes in Germania lapides, imò omnia arborum folia in linguas mutarentur, non possent dignas DEO laudes canere, dignas agere gratias,

tias, quod omnia tam bene fecerit, quod non expleverit tantum vota sui populi; sed & superavit. Hæc enim vota, nisi fallor, erant, ut, discussis belli nubibus, serena modò pacis lux relucefferet. Si ergo armis positis tranquillitati tantum pristina restitutæ fuissent afflictæ provinciæ, abundè omnes non expectationi modò; sed optatis quoq; suis satisfactum judicassent. Ut autem præter pacem redditam, Serenissimum Sueciæ Regnum augustale Religionis Orthodoxæ florentissimum in partes curarum de orthodoxæ religionis & libertatis Germanicæ negotiis præcipuas veniret: ut, acceptis inde tot Ducatibus, sedem quoq; suam, ad asserendum parta Germaniæ bona figeret in Germania: ut velut membrum ejus aliquod efficeretur, quis Germanorum unquam non dicam sperare; sed optare ausus fuisset? Præcurrit hîc Tua, DEUS clementissime, benignitas spes populi Tui? superavit preces ejus ardentissimas, quibus toties defatigatas aures tuas novisti! Nos ergo, cum Germania Tua, hoc munus Tuum, nos manum Tuam, nos mentem exosculamur, & cum aliud non possumus, Te laudamus, Te amamus, Te ado-

ramus, ad Tuos pedes humilime prosternimur. Tibi laus, ò Sospitator hominum celsissime, Tibi gloria, ò Pater clementissime, Tibi gratiarum actio, in secula sempiterna. O Beata Trinitas, sanctum & laudabile Nomen Majestatis Tuæ & super exaltatum in secula!

Ut verò secundas à DEO in his terris REGINA nostra atq; DOMINA semper Augusta, & numinis instar à nobis meritò habenda, obtinet; ita secundo etiam ad thronum ejus augustissimum, ad eximium Majestatis ejus ornamentum, divinæ Majestatis Imaginem, gratiæ nostræ pergunt. Quid enim hoc & quantum est, quod afflictissimis in Germania Ecclesiæ rebus operam Tuam constanter impertire non detrectaveris: quod Germaniam ex servitute, quæ jam incumbibat ei, in libertatem optatissimam, Religionem Orthodoxam ex periculis, fortissimè reduxeris, CHRISTINA Christianissima, REGINA Triumfatrix Optima Maxima? Nullius profectò tantum est flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantaq; copia, quæ hoc Tuum in Germaniam beneficium exornare satis valeat. Patri Tuo gloriolissimæ recordationis,

nis, (da veniam, Domina : accepta affectusq̄;
noster hæc verba requirit,) Patri quoq̄; Tuo
& nostro, imò & Germaniæ Patri, multum
ipsa ob paternam curam debet. Quem enim,
nisi rerum omnium ignarum, fugit, quantâ
sedulitate & fide, quantis laboribus & sudori-
bus, in summis difficultatibus periclitanti suc-
currerit, & Regium etiam sanguinem pro ea
masculè fuderit ? Exemplo quidem pietatis
incomparabili ! Quid enim in omnibus â
mundo condito historiis simile inveniemus ?
Te verò operum magnorum nuncia fama,
Te numerosa gloria, ceu consummatricem
instituti paterni, ad sidera usq̄; extollit, Te non
tantum tot Imperiorum, felicitatis, potentiaë;
sed virtutum paternarum, imprimis Pieta-
tis heredem, omnes toto mundo veneran-
tur. Unde enim aliâs tantus in Orthodoxam
Religionem amor ? unde tantus in ea defen-
denda fervor ? Placuit olim primis elegantis
sapientiæ Secretariis, Poëtis, auream virtutum
catenam, è cælo propendentem, fingere, quam
virtutum omnium complexus, sibi mutuò
inhærentes, diducunt & aptant, ut velut in a-
mico contubernio omnes jungantur. Nemo
facile

facilè negabit, opinor Aud: hanc catenam virtutum auream, hoc regium ornamentum in Augustissima Domina nostra rutilare. Quæ enim nominari virtus potest, cujus jubar ex omnibus illius actionibus non emicet? Ire per singulas nonnisi æternorum laborum monumenta poterunt, & in prædicandis illis passim modò certabit alacris oratorum Germanorum devotio. Omnes tamen princeps omnium pietas REGINÆ nostræ præ omnibus in admirationem rapiet, illa generis humani tutatrix, cæli germen, orbis columnen: illa tot laborum in Divo Parente: tot laborum in augustissima filia felix Stimula & Agonia, pro qua in gratias humillimas ipsa orthodoxa Religio descendit, & Te, Domina, Pacatrix felicissima, Te suspicit, Te assertricem suam nominat, Te veneratur, ad Te manus tendit devotissimas, Tuis victoriis triumphisq; post DEUM, suam incolumitatem acceptam refert; & ulteriorem sui curam studiosissimè à Te precatur. Idem cum ea faciunt liberati Germaniæ cives, & quanquam pectora illorum senex jam mœstitia angustaverit, inundantis tamen ex restituta pace gaudii copiam sentire paulatim

tim incipiunt : Te mirantur, Te venerantur,
Tibi præsertim humillimas habent aguntq;
gratias, REGINA Inviçtissima, quod non mi-
nus prudenter, quam fortiter, ad recuperan-
dam Orbi Europæo, ad reddendam miserrimæ
Germaniæ pacem, arma animosq; con-
junxeris. Nimirum in hoc bello, bello diffi-
cillimo, bello non sine stupore inter poste-
ros nominando, jam finito, difficulter lice-
at decernere, utrum majori prudentiâ, an for-
titudine omnia expedita sint? Certè, ad ex-
emplum posteritatis, magna ostendent inge-
nia, (quid enim ego ingrediar immensum hoc
pelagus?) utrumq; hoc imperii ad æternita-
tem excitandi adminiculum regiâ manu ser-
vatum, roboratasq; duas illas columnas firma-
tissimas, quibus salus omnis regnorum, omnis
gloria innititur, & contra quasvis adversario-
rum machinas persistit. Nos igitur REGINAM
nostram, pro eo ac possumus, & veneramur
ob prudentiam, & colimus ob fortitudinem,
neq; ullum virtutis præmium, ullum honoris
insigne, ullum laudis monumentum esse fie-
riq; posse existimamus, quod illi â nobis: quid
â nobis dico? ab universa Christianitate, jure

& meritò non debeatur . Quam sollicitè inter ipsa arma de pace cogitavit, cujus causa arma sumpta erant ? Quanquam ergo eo sanguine creta, eo solo nata, iis artibus educata, iis meritis, victoriis, triumphis decorata fuerit, ut summam undiq; armorum gloriam possideret, & exercitum ubiq; victorem, exercitum ad pugnas & triumphos novos alacrem, exercitum florentissimum haberet, præstabilius tamen, pro iudicii sui divinitate, iudicavit, citra præhiorum lassitudinem, ambiguum armorum strepitum optatissimâ tranquillitate redditâ componere. Quò magis venerari & suspicere Te cuncti debemus, REGINA, Triumphatrix pacifica, quæ, ut pacem suâ metiris dignitate : ita bella geris & administras necessitate : & ut armorum capiendorum certam tenes rationem : sic deponendorum modum ; quæ tam fortia, tam felicia hucusq; , cum terrore hostium perpetuo, circumtulisti, ut nullus sit in orientis & obeuntis Solis partibus locus, ubi non celebretur Suecicorum armorum gloria. Fruere tantis meritis, gratulare fortitudini Tuæ prudentissimæ, quâ ad omnium laborum metam, Pacem scilicet, optatò
perve-

pervenisti ! ad pacem unam innumeris trium-
fis potiorem , ad pacem religionis , legum
omnisq; honesti nutricem , ad pacem , unicum
tot vulnerum chironiorum remedium , qui-
bus ad interneccionem usq; lacerata erat Ger-
mania ; Et illa Tibi nunc , Domina , nobis-
cum , more veterum , laurum & olivam tuo
meritissimo consecrat. Laurum enim obti-
nes victoriis : oleam studiis pacificis. Illa
nunc in laudes Tuas nobiscum , quanta quan-
ta est , effunditur : Illa Tibi aram gratitudinis
suæ , imò thronum immortalitatis & gloriæ
excitat. Scande illum , ô AUGUSTA , &
inde , quantum potes , oculos intromitte in o-
mnium pectora : vide in iis tot erectas devo-
tionis statuas , quas nulla unquam ætas , nulla
delibabit oblivio. Audi vota Germanorum
& nostra deditissima : audi voces omnium
unanimes : ô CHRISTINA REGINA
Triumfatrix , tot gentium , terrarum , impe-
riorum domitrix & Pacificatrix , DEUS Te
conservet ! CHRISTINA REGINA or-
thodoxæ Ecclesiæ tutatrix , Mater Patriæ , mo-
ra factorum , atlas felicitatis nostræ , DEUS Te
conservet ! CHRISTINA REGINA , orbis

retroacti prodigium, præsentis miraculum, futuri exemplum, DEUS Te conservet! Vovemus omnes vovemus singuli, DEUS Te conservet ô DOMINA ob undiq; reductam pacis serenitatem verè Serenissima!

Quemadmodum verò præter Solem reliqua etiam Sidera in hæc inferiora agunt eorumq; affectiones miscent, quod cælestium arcanorum scrutatores subtilius excutiunt: ita pacis bonum, quod ad DEUM Irenarcham benignissimum, quod ad REGINAM nostram, Pacificatricem felicissimam, gratâ voce retulimus, indefesso etiam Illustrissimorum Regni Procerum, imprimis Eminentissimorum Dominorum Legatorum, studio, gratâ mente acceptum ferre convenit. Quid enim gravissimis suis consiliis? quid assiduis laboribus? quid continuis curis spectârunt aliud, quam pacem Germaniæ desideratissimam? Idcirco nulla temporum momenta præterire passi sunt, quin, quæ acturi pacis hujus causa essent, præconciperent acriter: quid possit accidere, & quid agi debeat, si hoc contingeret, sedulò definirent: omnes actus paci profuturos disposerent, & è quadam mentium pro-

viden-

videntissimarum specula explorarent omnia, ne fluxæ casuum temeritati quicquam crederetur, quod in tanto negotio curatè esset providendum. Quis dignè tantam celebrabit prudentiam, quæ, instar fili Ariadnæi, ex intricatissimo actionum variarum labyrintho, ad optatissimam pacis metam, proxenetas pacis splendidissimos deduxit? Certè concursus in tractatione isthac fuit ingeniorum ex toto orbe selectissimorum: horum sensa circa res tantas sagaciter inquirere, conatûs feliciter moderari, studia quaquaversum tendentia, ceu varias in circulo lineas, ad unum pacis centrum dirigere, nonne divinæ solertiæ opus est? Hanc in Vobis miramur, Legati pacis felicissimi, hanc æstimamus cum pacata Germania, una cum constantia illa vestra indefatigabili, quam, nullis delassati vel morarum, vel curarum molestiis, toti stupenti mundo tot annos probastis. Quot enim tricis istis magnis minutisq; (si modò quid minutum dici potest, quod vel pace, vel armis terminandum fuit,) expediendis patienter consumsistis? Tractum est pacis negotium ex uno loco in alium, tractum ex anno in annum: modò Hamburgi ad Irenes

facra conventum, modò ad alia loca itum est,
donec Monasterii tandem & Osnabruiggæ,
post sisyphios labores exantlatos, juxta Sollici-
tudines ipsius sacratissimi Imperatoris Roma-
ni, Christianissimi Galliarum Regis, Potentis-
simorum Electorum & Principum Germaniæ
inæstimabiles, gratissimâ devotione veneran-
das, applaudente cœlo, gestiente terrâ, tripu-
diantibus bonis omnibus, die 14. Octobr. Su-
perioris anni, sedatâ omnium partium irâ, di-
remtis contentionibus, sublato bello, pax tan-
dem firma & sincera Germaniæ restitueretur.
O Mensis Octobris, quam faustam & felicem
toti Germaniæ nobisq; Tui memoriam relin-
quis! O dies tuos, dies magnæ indices lætitiæ!
Solem ego ipsum, ita vivam, in tam pulcro
spectaculo exsultasse arbitror, cum strato in fo-
ro peripetasmate pax reddita Monasterii sub
Dio solenniter promulgaretur: cum popu-
lus omnis in cœlum elatis vocibus & manibus:
Te DEUM laudamus: caneret: cum multi,
præ lacrumis cantus omittentes, jubilantes ge-
mitus & læta suspiria ad DEUM emitterent.
Pax ergo est? tranquillitas est? solenne gau-
dium de cœlo datum est. Vix auribus suis
crede-

credebant, quæ audirent: oculis, quæ videbant: repeti optabant voces salutares, ut seipfos cogerent ad assensum. Nimirum ista maximorum gaudiorum indoles est, ut credulitatem carendi metu suspendant. Sicut diurnâ loci obscuritate tecti apertè lucis claritatem vix patiuntur oculis: ita effusa illa ex pace lætitia omnium primò mentes velut obnubilabat, ut tardiùs desperati ferè boni fides procederet. Postquam verò tanti gaudii copia paulatim recepta fuit, quæ bone DEUS, per universam Germaniam jubila? quæ gratulationes? quæ gratiarum actiones Ad DEUM, ad Reges, ad Principes, ad Legatos, ad omnes in tanto pacis negotio laborum socios? omnes volebant referre gratias, nemo poterat. Quantum enim illis debeatur, mente vix assequebantur, tantum aberat, ut verbis accepta satis prædicarent beneficia, quid dicam, ullo modo rependerent? Verè quidem, sicut Solis Lunæq; & reliquorum luminum lucem contemplari; viresq; eorum in nobis sentire possumus: sed nihil ad ea vel luce, vel viribus augenda referre possumus: ita & nos, cum Germanis, paternam DEI in nos clementiam,
singul-

singularem REGINÆ felicissimæ Providenti-
am, grandes Illustrissimorum Procerum Le-
gatorumq; labores, vigilias, curas agnoscere
possumus: nihil tamen quicquam habemus,
quod vel DEO Opt: Max: benignissimo,
vel REGINÆ Invictissimæ, vel reliquis pacis
curatoribus, Salutis publicæ tutoribus, invi-
cem reddere cum Germanis queamus. Ver-
bis peragenda sunt omnia; sed quantillum
possumus? factis nullo modo licet: Qui vel
sunt hodie, vel erunt uspiam historiarum scrip-
tores, cum ad hanc pacem Germaniæ ventum
fuerit, magna non tantum magnarum pote-
statum merita; sed vestra etiam, Proxenetæ
pacis splendidissimi, studia ita efferent, ita o-
mnium memoriæ & admirationi sistent, ut
quivis ea omni laude digna, imò potiora omni
laude fuisse nobiscum animadvertat.

Tu verò DEUS, & ob potentiam Maxi-
me, & optime ab bonitatem Tuam, quam u-
tramq; in præsentis pacis negotio luculenter o-
stendisti, custodi, quæsumus, serva, protege,
quam dedisti, pacem nobis & Germaniæ. Ma-
gna bona magnos habere hostes solent; & jam
virulentæ talium molitiones ex obscuris adver-
sus

sus pacem prominent latibulis. Compesce illas, DEUS omnipotens, qui unus omnium consiliorum eventus & auspicia, regnorum ortus & occasus, secunda & adversa uno providentiæ oculo inspicias, dirigis, gubernas. Indulge, ut quod optimum nobis & Germaniæ dedisti, æternum permaneat: Indulge, ut totum Sueciæ Regnum, sedes verbi Tui splendidiſſima, omnigenis clementiæ Tuæ muneribus, subinde locupletetur; ut partis tot triumfis & victoriis: tot floribus & honoribus, sub felicissimo pacis regimine, perpetuò vigeat. Indulge, Pater indulgentiſſime, ut sub eo hæc Livonia, & in eâ Riga Tua, Tua Riga secundis undiq; virtutum & bonorum omnium incrementis, ad Tuam gloriam & salutem suam, floreat, neq; quisquam nostrum aut nostrorum solem illum pacis, qui redux Germaniæ nobisq; affulſit, unquam videat occidere, aut obscurari.

D I X I.

D

Ad

AD GERMANIAM.

Pone modum lacrumis : laceros compone capillos :
 Ecquid adhuc pullo firmate verris humum ?
 Sume triumphales cultus , Pacisq̄ reduc̄ta
 Basia basiolo vividiore cape .
 Prò ! quot lustra Tuis procul absfuit exsul ab oris ,
 Gradivi toties pulsa , repulsa metu ?
 Nunc tamen , ò letam verbum ! nunc illa revertit
 Pax Tua , pax aliis anteferenda bonis .
 Quis Tibi non tantum , MATER GERMANIA , donum
 Gratari calamo , pectore , voce velit ?
 Floreat euge Tuis Pax reddita semper in agris !
 Floreat eterni nata verenda DEi !
 Floreat , & sensim chironia vulnera , Martis
 Fixa dolò , medicâ sanet ubiq̄ manu !
 At Vos , pacati felicia Numina mundi :
 Vos rursus nitidi Germina sancta poli :
 Pacificis macti studiis Vos pacis amici ,
 Perpetuis Jami claudite claustra feris !
 Tu tamen inprimis , magni stupor orbis amorq̄ :
 Tu mora fatorum , curaq̄ , grata DEi ,
 Quâ minus est , quicquid meditor , CHRISTINA , pa-
 rentis ,
 GUSTAVI MAGNI , Filia MAGNA Tui ,
 Vive , vige , flore , successibus aucta secundis !
 Irenes custos optima vive , vige !

Ut Tua nobiscum vigeat Germania, flore!

O MATER PATRIÆ provida Virve, Vige!

Suspirat,

M. JOH. BREVERUS,

Phil. & Eloq. Prof.

Dedles Deutschesland/du Kern vnd Marck der Erdē
Was dir zn diser Zeit/der treue Himmels Nacht
Für übergrosse Gnad vnd Gunst erweisen hat/
Kann nun vnd nimmermehr recht wohl erzehlet werden.
Der schwarze Höllen Abt erregte seinen Erben/
Den Abgott diser Welt/dich gründlich zu verderben/
Doch seiner schnöden Liga Macht
Hat Gott als Lügen außgelacht.
Deß Himmels Erbherz sah vnd schaute dein veröden :
Die trübe Höllen Angst/deß Säligmachens Wahn/
Ging dir zum vntergang/in allen winckeln an/
Biß das der grosse Held/der grosse Held/auß Schweden
Sich/ (doch von Gott gereizt) in diß Geschmeisse wagte
Sie mit berühmter Faust auß deiner Schoß verjagte :
Doch ward des Mavors küne Macht
Noch lange nicht hinweg gebracht.
Biß daß das Ebenbild der Tugend dieses Helden/
Daß Wunder dieser Zeit/ sich kräfttig mercken ließ/
Vnd durch der Waffen Recht dergleichen Macht erwies/
(Davon der weisen Pracht/die Bücher/rümlich melden)
Daß Mavors seinen Spieß/den wilden Tösch/vnd Degen/
D Himmelsfüße Lust! hat müssen nider legen :
CHRISTINA MAGNA grosse Macht
Hat dir/durch Gott/den Friden bracht.

Wolan / O Deutschesland / erhebe deine Sinnen
Vnd lauff den Höchsten an ! Es kommt nicht ohngefähr
Daß dir der Friede blüht / es rührt vom Himmel her.
Ein fester Frieden Schluß ist Gottes Gunstbeginnen.
Darnach so mustu auch / dem Werkzeug' Ehre geben /
Drumb sprich zu Ruhm vnd Danck : Daß ich kan Fried-
lich Leben

CHRISTINA MAGNA kommt von dir /
CHRISTINA Lebe für vnd für !

JOHANNES CAULICHIUS.

